

## CALPURNIUS SICULUS

## BUCOLIQUES (759 vers)

Corydon

C\_1 v.1 Nondum solis equos declinis mitigat aestas,  
 2 quamvis et madidis incumbant prela racemis  
 3 et spument rauco ferventia musta susurro.  
 4 Cernis ut ecce pater quas tradidit, Ornyte, vaccae  
 5 molle sub hirsuta latus explicuere genista ?  
 6 Nos quoque vicinis cur non succedimus umbris ?  
 7 Torrida cur solo defendimus ora galero ?

Ornytus

8 Hoc potius, frater Corydon, nemus, antra petamus  
 9 ista patris Fauni, graciles ubi pinea denset  
 10 silva comas rapidoque caput levat obvia soli,  
 11 bullantes ubi fagus aquas radice sub ipsa  
 12 protegit et ramis errantibus implicat umbras.

Corydon

13 Quo me cumque vocas, sequor, Ornyte ; nam mea Leuce,  
 14 dum negat amplexus nocturnaque gaudia nobis,  
 15 pervia cornigeri fecit sacraria Fauni.  
 16 Prome igitur calamos, et si qua recondita servas,  
 17 nec tibi defuerit mea fistula, quam mihi nuper  
 18 matura docilis compegit harundine Ladon.

Ornytus

19 Et jam captatae pariter successimus umbrae.  
 20 Sed quaenam sacra descripta est pagina fago,  
 21 quam modo nescio quis properanti falce notavit ?  
 22 Aspicias ut virides etiam nunc littera rimas  
 23 servet et arenti nondum se laxet hiatu ?

Corydon

24 Ornyte, fer propius tua lumina : tu potes alto  
 25 cortice descriptos citius percurrere versus ;  
 26 nam tibi longa satis pater internodia largus  
 27 procerumque dedit mater non invida corpus.

Ornytus

28 Non pastor, non haec triviali more viator,  
 29 sed deus ipse canit ; nihil armentale resultat,  
 30 nec montana sacros distinguunt juba versus.

Corydon

31 Mira refers ; sed rumpe moras oculosque sequaci  
 32 quam primum nobis divinum perlege carmen.

Ornytus

33 "Qui juga, qui silva tueor, satus aethere Faunus,  
 34 haec populis ventura cano ; juvat arbore sacra  
 35 laeta patefactis incidere carmina fatis.  
 36 Vos o praecipue nemorum gaudete coloni,  
 37 vos populi gaudete mei. Licet omne vagetur  
 38 securo custode pecus nocturnaque pastor  
 39 claudere fraxinea nolit praesepia crate,  
 40 non tamen insidias praedator ovilibus ullas

41 afferet aut laxis abiget jumenta capistris.  
 42 Aurea secure cum pace renascitur aetas  
 43 et redit ad terras tandem squalore situque  
 44 alma Themis positi juvenemque beata sequuntur  
 45 saecula, maternis causam qui vicit Iulis.  
 46 Dum populos deus ipse reget, dabit impia victas  
 47 post tergum Bellona manus spoliataque telis  
 48 in sua vesanos torquebit viscera morsus  
 49 et modo quae toto civilia distulit orbe,  
 50 secum bella geret ; nullos jam Roma Philippos  
 51 deflebit, nullos ducet captiva triumphos ;  
 52 omnia Tartareo subigentur carcere bella  
 53 immergentque caput tenebris lucemque timebunt.  
 54 Candida pax aderit, nec solum candida vultu,  
 55 qualis saepe fuit quae libera Marte professo,  
 56 quae domito procul hoste tamen grassantibus armis  
 57 publica diffudit tacito discordia ferro.  
 58 Omne procul vitium simulatae cedere pacis  
 59 jussit et insanos Clementia contudit enses.  
 60 Nulla catenati feralis pompa senatus  
 61 carnificum lassabit opus, nec carcere pleno  
 62 infelix raros numerabit Curia patres.  
 63 Plena quies aderit, quae stricti nescia ferri  
 64 altera Saturni referet Latialia regna,  
 65 altera regna Numae, qui primus ovantia caede  
 66 agmina Romuleis et adhuc ardentia castris  
 67 pacis opus docuit jussitque silentibus armis  
 68 inter sacra tubas, non inter bella, sonare.  
 69 Jam nec adumbrati faciem mercatus honoris  
 70 nec vacuos tacitus fasces et inane tribunal  
 71 accipiet consul ; sed legibus omne reductis  
 72 jus aderit moremque fori vultumque priorem  
 73 reddet et afflictum melior deus auferet aevum.  
 74 Exultet quaecumque Notum gens ima jacentem  
 75 erectumve colit Boream, quaecumque vel ortu  
 76 vel patet occasu mediove sub aethere fervit.  
 77 Cernitis ut puro nox jam vicesima caelo  
 78 fulgeat et placida radiantem luce cometem  
 79 proferat ? Ut liquidum niteat sine vulnere sidus ?  
 80 Numquid utrumque polum, sicut solet, igne cruento  
 81 spargit et ardenti scintillat sanguine lampas ?  
 82 At quondam non talis erat, cum, Caesare raptō,  
 83 indixit miseris fatalia civibus arma.  
 84 Scilicet ipse deus Romanae pondera molis  
 85 fortibus excipiet sic inconcussa lacertis,  
 86 ut neque translati sonitu fragor intonet orbis  
 87 nec prius ex meritis defunctos Roma penates  
 88 censeat, occasus nisi cum respexerit ortus."

Corydon

89 Ornyte, jam dudum, velut ipso numine plenum  
 90 me quatit et mixtus subit inter gaudia terror.  
 91 Sed bona facundi veneremur numina Fauni.

Ornytus

92 Carmina, quae nobis deus obtulit ipse canenda,  
 93 dicamus teretique sonum modulemur avena :  
 94 forsitan augustas feret haec Meliboeus ad aures.

C\_2 v.1 Intactam Crocalen puer Astacus et puer Idas,  
 2 Idas lanigeri dominus gregis, Astacus horti,  
 3 dilexere diu, formosus uterque nec impar  
 4 voce sonans. Hi cum terras gravis ureret aestas,  
 5 ad gelidos fontes et easdem forte sub ulmos  
 6 conveniunt dulcique simul contendere cantu  
 7 pignoribusque parant : placet hic ne vellera septem,  
 8 ille sui victus ne messem vindicet horti ;  
 9 et magnum certamen erat sub iudice Thyrsi.  
 10 Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum  
 11 et quodcumque vagis altum ferit aera pennis.  
 12 Convenit umbrosa quicumque sub ilice lentas  
 13 pascit oves, Faunusque pater Satyrique bicornes ;  
 14 adfuerunt sicco Dryades pede, Naides udo,  
 15 et tenuere suos properantia flumina cursus ;  
 16 desistunt tremulis incurrere frondibus Euri  
 17 altaque per totos fecere silentia montes.  
 18 Omnia cessabant, neglectaque pascua tauri  
 19 calcabant, illis etiam certantibus ausa est  
 20 daedala nectareos apis intermittere flores.  
 21 Jamque sub annosa medius consederat umbra  
 22 Thyrsis et "O pueri me iudice pignora", dixit,  
 23 "irrita sint moneo ; satis hoc mercedis habeto,  
 24 si laudem victor, si fert opprobria victus.  
 25 Et nunc alternos magis ut distinguere cantus  
 26 possitis, ter quisque manus jactate micantes."  
 27 Nec mora decernunt digitis. Prior incipit Idas.  
 Idas  
 28 Me Silvanus amat, dociles mihi donat avenas  
 29 et mea frondenti circumdat tempora taeda.  
 30 Ille etiam parvo dixit mihi non leve carmen :  
 31 "Jam levis obliqua crescit tibi fistula canna."  
 Astacus  
 32 At mihi Flora comas pallenti gramine pingit  
 33 et matura mihi Pomona sub arbore ludit.  
 34 "Accipe", dixerunt Nymphae, "puer, accipe fontes :  
 35 jam potes irriguos nutrire canalibus hortos."  
 Idas  
 36 Me docet ipsa Pales cultum gregis, ut niger albae  
 37 terga maritus ovis nascenti mutet in agna,  
 38 quae neque diversi speciem servare parentis  
 39 possit et ambiguo testetur utrumque colore.  
 Astacus  
 40 Non minus arte mea mutabilis induit arbos  
 41 ignotas frondes et non gentilia poma.  
 42 Ars mea nunc malo pira temperat et modo cogit  
 43 insita praecoquibus subrepere persica prunis.  
 Idas  
 44 Me teneras salices juvat aut oleastra putare  
 45 et gregibus portare novis, ut carpere frondes  
 46 condiscant primoque recidere gramina morsu,  
 47 ne depulsa vagas quaerat fetura parentes.  
 Astacus  
 48 At mihi cum fulvis radicibus arida tellus  
 49 pangitur, irriguo perfunditur area fronte  
 50 et satiatur aqua, sucos ne forte priores

51 languida mutata quaerant plantaria terra.  
 Idas

52 O si quis Crocalen deus afferat ! Hunc ego terris,  
 53 hunc ego sideribus solum regnare fatebor ;  
 54 secernamque nemus dicamque : "Sub arbore numen  
 55 hac erit ; ite procul (sacer est locus !) ite profani."  
 Astacus

56 Urimur in Crocalen ! Si quis mea vota deorum  
 57 audiat, huic soli, virides qua gemmeus undas  
 58 fons agit et tremulo percurrit lilia rivo,  
 59 inter pampineas ponetur faginus ulmos.  
 Idas

60 Ne contemne casas et pastoralia tecta :  
 61 rusticus est, fateor, sed non et barbarus Idas.  
 62 Saepe vaporato mihi cespite palpitat agnus,  
 63 saepe cadit festis devota Parilibus agna.  
 Astacus

64 Nos quoque pomiferi laribus consuevimus horti  
 65 mittere primitias et fingere liba Priapo,  
 66 rorantesque favos damus et liquentia mella ;  
 67 nec sunt grata minus quam si caper imbuat aras.  
 Idas

68 Mille sub uberibus balantes pascimus agnas  
 69 totque Tarentinae praestant mihi vellera matres.  
 70 Per totum niveus premitur mihi caseus annus :  
 71 si venias, Crocale, totus tibi serviet annus.  
 Astacus

72 Qui numerare velit quam multa sub arbore nostra  
 73 poma legam, tenues citius numerabit harenas.  
 74 Semper holus metimus, nec bruma nec impedit aestas :  
 75 si venias, Crocale, totus tibi serviet hortus.  
 Idas

76 Quamvis siccus ager languentes excoquat herbas,  
 77 sume tamen calathos nutanti lacte coactos.  
 78 Vellera tunc dabimus, cum primum tempus apricum  
 79 surget et a tepidis fiet tonsura Kalendis.  
 Astacus

80 At nos, quos etiam praetorrida munerat aestas,  
 81 mille reidenti dabimus tibi cortice Chias,  
 82 castaneasque nuces totidem, cum sole Novembri  
 83 maturis nucibus virides rumpentur echini.  
 Idas

84 Num, precor, informis videor tibi, num gravis annis ?  
 85 Decipiorque miser, quotiens mollissima tango  
 86 ora manu primique sequor vestigia floris  
 87 nescius et gracili digitos lanugine fallo ?  
 Astacus

88 Fontibus in liquidis quotiens me conspicio, ipse  
 89 admiror totiens : etenim sic flore juventae  
 90 induimur vultus, ut in arbore saepe notavi  
 91 cerea sub tenui lucere cydonia lana.  
 Idas

92 Carmina poscit amor nec fistula cedit amori.  
 93 Sed fugit ecce dies revocatque crepuscula vesper.  
 94 Hinc tu, Daphni, greges, illinc agat Alphisiboeus.  
 Astacus

95 Jam resonant frondes, jam cantibus obstrepit arbor :  
 96 i procul, o Doryla, primumque reclude canalem,

97 et sine jam dudum sitientes irriget hortos."  
 98 Vix ea finierant, senior cum talia Thyrsis :  
 99 "Este pares et ob hoc concordēs vivite ; nam vos  
 100 et decor et cantus et amor sociavit et aetas."

Iollas

C\_3 v.1 Numquid in hac Lycida, vidisti forte juvencam  
 2 valle meam ? Solet ista tuis occurrere tauris,  
 3 et jam paene duas, dum quaeritur, eximit horas ;  
 4 nec tamen apparet. Duris ego perdita ruscis  
 5 jam dudum nullus dubitavi crura rubetis  
 6 scindere, nec quicquam post tantum sanguinis egi.

Lycidas

7 Non satis attendi : nec enim vacat. Uror, Iolla,  
 8 uror, et immodice ! Lycidan ingrata reliquit  
 9 Phyllis amatque novum post tot mea munera Mopsum.

Iollas

10 Mobilior ventis o femina ! Sic tua Phyllis,  
 11 quae sibi, nam meminī, si quando solus abesses,  
 12 mella etiam sine te jurabat amara videri.

Lycidas

13 Altius ista querar, si forte vacabis, Iolla.  
 14 Has pete nunc salices et laevas flecte sub ulmos.  
 15 Nam cum prata calent, illic requiescere noster  
 16 taurus amat gelidaque jacet spatiosus in umbra  
 17 et matutinas revocat palearibus herbas.

Iolas

18 Non equidem, Lycida, quamvis contemptus, abibo.  
 19 Tityre, quas dixit, salices pete solus et illinc,  
 20 si tamen invenies, deprensam verbere multo  
 21 huc age ; sed fractum referas hastile memento.  
 22 Nunc age dic, Lycida, quae noxam magna tulere  
 23 jurgia ? Quis vestro deus intervenit amori ?

Lycidas

24 Phyllide contentus sola (tu testis, Iolla)  
 25 Callirhoen sprevis, quamvis cum dote rogaret.  
 26 En sibi cum Mopso calamos intexere cera  
 27 incipit et puero comitata sub ilice cantat.  
 28 Haec ego cum vidi, fateor, sic intimus arsi  
 29 ut nihil ulterius tulerim. Nam protinus ambas  
 30 diduxi tunicas et pectora nuda cecidi.  
 31 Alcippen irata petit dixitque : "Relicto,  
 32 improbe, te, Lycida, Mopsum tua Phyllis amabit."  
 33 Nunc penes Alcippen manet ac ne forte negetur,  
 34 ah ! vereor. Nec tam nobis ego Phyllida reddi  
 35 exopto quam cum Mopso jurgetur anhelō.

Iollas

36 A te coeperunt tua jurgia ; tu prior illi  
 37 victas tende manus. Decet indulgere puellae,  
 38 vel cum prima nocet. Si quid mandare juvabit,  
 39 sedulus iratae contingam nuntius aures.

Lycidas

40 Jam dudum meditor, quo Phyllida carmine placem.  
 41 Forsitan audito poterit mitescere cantu ;  
 42 et solet illa meas ad sidera ferre Camenas.

Iollas

43 Dic age ; nam cerasi tua cortice verba notabo  
44 et decisa feram rutilanti carmina libro.

Lycidas

45 "Has tibi, Phylli, preces jam pallidus, hos tibi cantus  
46 dat Lycidas, quos nocte miser modulatur acerba,  
47 dum flet et excluso disperdit lumina somno.  
48 Non sic destricta marcescit turdus oliva,  
49 non lepus, extremas legulus cum sustulit uvas,  
50 ut Lycidas domina sine Phyllide tabidus erro.  
51 Te sine, vae misero, mihi lilia nigra videntur  
52 nec sapiunt fontes et acescunt vina bibenti.  
53 At si tu venias, et candida lilia fient  
54 et sapient fontes et dulcia vina bibentur.  
55 Ille ego sum Lycidas, quo te cantante solebas  
56 dicere felicem, cui dulcia saepe dedisti  
57 oscula nec medios dubitasti rumpere cantus  
58 atque inter calamos errantia labra petisti.  
59 A dolor ! Et post haec placuit tibi torrida Mopsi  
60 vox et carmen iners et acerbae stridor avenae ?  
61 Quem sequeris ? Quem, Phylli, fugis ? Formosior illo  
62 dicor, et hoc ipsum mihi tu jurare solebas.  
63 Sum quoque divitior : certaverit ille tot haedos  
64 pascere quot nostri numerantur vespere tauri.  
65 Quid tibi quae nosti referam ? Scis, optima Phylli,  
66 quam numerosa meis siccetur bucula mulctris  
67 et quam multa suos suspendat ad ubera natos.  
68 Sed mihi nec gracilis sine te fiscella salicto  
69 textitur et nullo tremuere coagula lacte.  
70 Quod si dura times etiam nunc verbera, Phylli,  
71 tradimus ecce manus : licet illae vimine torto  
72 scilicet et lenta post tergum vite domentur,  
73 ut mala nocturni religavit bracchia Mopsi  
74 Tityrus et furem medio suspendit ovili.  
75 Accipe, ne dubites : meruit manus utraque poenas.  
76 His tamen, hic isdem manibus tibi saepe palumbes,  
77 saepe etiam leporem decepta matre paventem  
78 misimus in gremium ; per me tibi lilia prima  
79 contigerunt primaeque rosae : vixdum bene florem  
80 degustarat apis, tu cingebare coronis.  
81 Aurea sed forsans mendax tibi munera jactat,  
82 qui metere occidua ferales nocte lupinos  
83 dicitur et cocto pensare legumine panem,  
84 qui sibi tunc felix, tunc fortunatus habetur  
85 vilia cum subigit manualibus hordea saxis.  
86 Quod si turpis amor precibus, quod abominor, istis  
87 obstiterit, laqueum miseri nectemus ab illa  
88 illice, quae nostros primum violavit amores.  
89 Hi tamen ante mala figentur in arbore versus :  
90 "Credere, pastores, levibus nolite puellis ;  
91 Phyllida Mopsus habet, Lycidan habet ultima rerum."  
92 Nunc age, si quicquam miseris succurris, Iolla,  
93 perfer et exora modulato Phyllida cantu.  
94 Ipse procul stabo vel acuta carice tectus  
95 vel propius latitans vicina sepe sub horti.

Iolas

96 Ibimus, et veniet, nisi me praesagia fallunt.  
97 Nam bonus a dextro fecit mihi Tityrus omen,  
98 qui redit inventa non irritus ecce juvenca.

C\_4

Meliboeus

v.1 Quid tacitus, Corydon, vultuque subinde minaci  
 2 quidve sub hac platano, quam garrulus adstrepit humor,  
 3 insueta statione sedes ? Juvat humida forsan  
 4 ripa levatque diem vicini spiritus amnis ?

Corydon

5 Carmina jam dudum, non quae nemorale resultent,  
 6 volvimus, o Meliboee ; sed haec, quibus aurea possint  
 7 saecula cantari, quibus et deus ipse canatur,  
 8 qui populos urbesque regit pacemque togatam.

Meliboeus

9 Dulce quidem resonas, nec te diversus Apollo  
 10 despicit, o juvenis, sed magnae numina Romae  
 11 non ita cantari debent ut ovile Menalcae.

Corydon

12 Quicquid id est, silvestre licet videatur acutis  
 13 auribus et nostro tantum memorabile pago,  
 14 nunc mea rusticitas, si non valet arte polita  
 15 carminis, at certe valeat pietate probari.  
 16 Rupe sub hac eadem, quam proxima pinus obumbrat,  
 17 haec eadem nobis frater meditatur Amyntas,  
 18 quem vicina meis natalibus admovet aetas.

Meliboeus

19 Jam puerum calamos et odoraе vincula cerae  
 20 jungere non cohibes, levibus quem saepe cicutis  
 21 ludere conantem vetuisti fronte paterna ?  
 22 Dicentem, Corydon, te non semel ista notavi :  
 23 "Frange, puer, calamos et inanes desere Musas.  
 24 I, potius glandes rubicundaque collige corna,  
 25 duc ad mulcra greges et lac venale per urbem  
 26 non tacitus porta. Quid enim tibi fistula reddet,  
 27 quo tutere famem ? Certe mea carmina nemo  
 28 praeter ab his scopulis ventosa remurmurat echo."

Corydon

29 Haec ego, confiteor, dixi, Meliboee, sed olim.  
 30 Non eadem nobis sunt tempora, non deus idem.  
 31 Spes magis arridet. Certe ne fraga rubosque  
 32 colligerem viridique famem solarer hibisco,  
 33 tu facis et tua nos alit indulgentia farre ;  
 34 tu nostras miseratus opes docilemque juventam  
 35 hiberna prohibes jejunia solvere fago.  
 36 Ecce nihil querulum per te, Meliboee, sonamus ;  
 37 per te segura saturi recubamus in umbra  
 38 et fruimur silvis Amaryllidos, ultima nuper  
 39 litora terrarum, nisi tu, Meliboee, fuisses,  
 40 ultima visuri, trucibusque obnoxia Mauris  
 41 pascua Geryonis, liquidis ubi cursibus ingens  
 42 dicitur occiduas impellere Baetis harenas.  
 43 Scilicet extremo nunc vilis in orbe jacerem,  
 44 ah dolor ! et pecudes inter conductus Hiberas  
 45 irrita septena modularer sibila canna ;  
 46 nec quisquam nostras inter dumeta Camenas  
 47 respiceret ; non ipse daret mihi forsitan aurem ;  
 48 ipse deus vacuum longeque sonantia vota  
 49 scilicet extremo non exaudiret in orbe.

50 Sed nisi forte tuas melior sonus advocat aures  
 51 et nostris aliena magis tibi carmina rident,  
 52 vis hodierna tua subigatur pagina lima ?  
 53 Nam tibi non tantum venturos dicere ventos  
 54 agricolis qualemque ferat sol aureus ortum  
 55 attribuere dei, sed dulcia carmina saepe  
 56 concinis, et modo te Baccheis Musa corymbis  
 57 munerat et lauro modo pulcher obumbrat Apollo.  
 58 Quod si tu faveas trepido mihi, forsitan illos  
 59 experiar calamos, here quos mihi doctus Iollas  
 60 donavit dixitque : "Truces haec fistula tauros  
 61 conciliat nostroque sonat dulcissima Fauno.  
 62 Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis  
 63 montibus Hyblaea modulabile carmen avena."  
 Meliboeus  
 64 Magna petis, Corydon, si Tityrus esse laboras.  
 65 Ille fuit vates sacer et qui posset avena  
 66 praesonuisse chelyn, blandae cui saepe canenti  
 67 allusere ferae, cui substitit advena quercus.  
 68 Quem modo cantantem rutilo spargebat acantho  
 69 Nais et implicitos combat pectine crines.  
 Corydon  
 70 Est, fateor, Meliboee, deus : sed nec mihi Phoebus  
 71 forsitan abnuerit ; tu tantum commodus audi :  
 72 scimus enim quam te non aspernetur Apollo.  
 Meliboeus  
 73 Incipe, nam faveo ; sed prospice ne tibi forte  
 74 tinnula tam fragili respiret fistula buxo,  
 75 quam resonare solet, si quando laudat Alexin.  
 76 Hos potius, magis hos calamos sectare, canales  
 77 et preme qui dignas cecinerunt consule silvas.  
 78 Incipe, ne dubita. Venit en et frater Amyntas :  
 79 cantibus iste tuis alterno succinet ore.  
 80 Ducite ; nec mora sit, vicibusque reducite carmen,  
 81 tuque prior, Corydon, tu proximus ibis, Amynta.  
 Corydon  
 82 Ab Jove principium, si quis canit aethera, sumat,  
 83 si quis Atlantiaci pondus molitur Olympi.  
 84 At mihi, qui nostras praesenti numine terras  
 85 perpetuamque regit juvenili robore pacem,  
 86 laetus et augusto felix arrideat ore.  
 Amyntas  
 87 Me quoque facundo comitatus Apolline Caesar  
 88 respiciat, montes neu dedignetur adire,  
 89 quos et Phoebus amat, quos Juppiter ipse tuetur :  
 90 in quibus Augustos visuraque saepe triumphos  
 91 laurus fructificat vicinaque nascitur arbor.  
 Corydon  
 92 Ipse polos etiam qui temperat igne geluque,  
 93 Juppiter ipse parens, cui tu jam proximus ipse,  
 94 Caesar, habes, posito paulisper fulmine saepe  
 95 Cresia rura petit viridique reclinis in antro  
 96 carmina Dictaeis audit Curetica silvis.  
 Amyntas  
 97 Adspicis ut virides audito Caesare silvae  
 98 conticeant ? Memini, quamvis urgente procella  
 99 sic nemus immotis subito requiescere ramis,  
 100 et dixi : "Deus hinc, certe, deus expulit Euros."



- 101 Nec mora, Parrhasiae sonuerunt sibila cannae.  
Corydon
- 102 Adspicis ut teneros subitus vigor excitet agnos,  
103 utque superfuso magis ubera lacte grauentur  
104 et nuper tonsis exudent vellera fetis ?  
105 Hoc ego jam, memini, semel hac in valle notavi  
106 et venisse Palem pecoris dixisse magistros.  
Amyntas
- 107 Scilicet omnis eum tellus, gens omnis adorat,  
108 diligiturque deis, quem sic taciturna verentur  
109 arbuta, cujus iners audito nomine tellus  
110 incaluit floremque dedit, cui silva vocato  
111 densat odore comas, stupefacta regerminat albos.  
Corydon
- 112 Illius ut primum senserunt numina terrae,  
113 coepit et uberior, sulcis fallentibus olim,  
114 luxuriare seges tandemque legumina plenis  
115 vix resonant siliquis ; nec praefocata malignum  
116 messis habet lolium nec inertibus albet arenis.  
Amyntas
- 117 Jam neque damnatos metuit jactare ligones  
118 fossor et invento, si fors dedit, utitur auro ;  
119 nec timet, ut nuper, dum jugera versat arator,  
120 ne sonet offenso contraria vomere massa,  
121 jamque palam presso magis et magis instat aratro.  
Corydon
- 122 Ille dat, ut primas Cereri dare cultor aristas  
123 possit et intacto Bromium perfundere vino,  
124 ut nudus ruptas saliat calcator in uvas  
125 ut quoque turba bono plaudat saganica magistro,  
126 qui facit egregios ad pervia compita ludos.  
Amintas
- 127 Ille meis pacem dat montibus : ecce per illum,  
128 seu cantare juvat seu ter pede lenta ferire  
129 gramina, nullus obest : licet et cantare choreis  
130 et cantus viridante licet mihi condere libro,  
131 turbida nec calamos jam surdant classica nostros.  
Corydon
- 132 Numine Caesareo securior ipse Lycaeus  
133 Pan recolit silvas et amoena Faunus in umbra  
134 securus recubat placidoque in fonte lavatur  
135 Nais et humanum non calcatura cruorem  
136 per juga siccato velox pede currit Oreas.  
Amyntas
- 137 Di, precor, hunc juvenem quem vos (neque fallor) ab ipso  
138 aethere misistis, post longa reducite vitae  
139 tempora vel potius mortale resolvite pensum  
140 et date perpetuo caelestia fila metallo :  
141 sit deus et nolit pensare palatia caelo !  
Corydon
- 142 Tu quoque mutata seu Juppiter ipse figura,  
143 Caesar, ades seu quis superum sub imagine falsa  
144 mortalique lates (etenim deus), hunc, precor, orbem,  
145 hos, precor, aeternus populos rege ! Sit tibi caeli  
146 vilis amor coeptamque, pater, ne desere pacem !  
Meliboeus
- 147 Rustica credebam nemorales carmina vobis  
148 concessisse deos et obesis auribus apta.

149 Verum, quae paribus modo concinuistis avenis,  
150 tam liquidum, tam dulce cadunt, ut non ego malim  
151 quod Paeligna solent examina lambere nectar.

Corydon

152 O mihi quae tereti decurrunt carmina versu !  
153 Tunc, Meliboee, sonent, si quando montibus istis  
154 dicar habere Larem, si quando nostra videre  
155 pascua contingat ! Vellit nam saepius aurem  
156 invida Paupertas et dicit : "Ovilia cura ! "  
157 at tu, si qua tamen non aspernanda putabis,  
158 fer, Meliboee, deo mea carmina. Nam tibi fas est  
159 sacra Palatini penetralia visere Phoebi.  
160 Tum mihi talis eris qualis qui dulce sonantem  
161 Tityron e silvis dominam deduxit in Urbem  
162 ostenditque deos et "Spreto", dixit, "ovili,  
163 Tityre, rura prius, sed post cantabimus arma."

Amyntas

164 Respiciat nostros utinam fortuna labores  
165 pulchrior et meritaefaveat deus ipse juventae !  
166 Nos tamen interea tenerum mactabimus haedum  
167 et pariter subitae peragemus fercula cenae.

Meliboeus

168 Nunc ad flumen oves deducite : jam fremit aestas,  
169 jam sol contractas pedibus magis admovet umbras.

(Micon , Cantus)

C\_5 v.1 Forte Micon senior Canthusque, Miconis alumnus,  
2 torrentem patula vitabant ilice solem,  
3 cum juveni senior praecepta daturus alumno  
4 talia verba refert tremulis titubantia labris :  
5 "Quas errare vides inter dumeta capellas  
6 canaque lascivo concidere gramina morsu,  
7 Canthe puer, quos ecce greges a monte remotos  
8 cernis in aprico decerpere gramina campo,  
9 hos tibi do senior juveni pater : ipse tuendos  
10 accipe. Jam certe potes insudare labori,  
11 jam pro me gnavam potes exercere juventam.  
12 Adspicis ut nobis aetas jam mille querelas  
13 afferat et baculum premat inclinata senectus ?  
14 Sed qua lege regas et amantes lustra capellas  
15 et melius pratis errantes mollibus agnas,  
16 percipe. Vere novo, cum jam tinnire volucres  
17 incipient nidosque reversa lutabit hirundo,  
18 protinus hiberno pecus omne movebis ovili.  
19 Tunc etenim melior vernanti germine silva  
20 pullat et aestivas reparabilis incohat umbras,  
21 tunc florent saltus viridisque renascitur annus,  
22 tunc Venus et calidi scintillat fervor amoris  
23 lascivumque pecus salientes accipit hircos.  
24 Sed non ante greges in pascua mitte reclusos,  
25 quam fuerit placata Pales. Tum caespitem vivo  
26 pone focum geniumque loci Faunumque Laresque  
27 salso farre voca ; tepidos tunc hostia cultros  
28 imbuat : hac etiam, dum vivit, ovilia lustra.  
29 Nec mora, tunc campos ovibus, dumeta capellis  
30 orto sole dabis, simul hunc transcendere montem

31 coeperit ac primae spatium tepefecerit horae.  
32 At si forte vaces, dum matutina relaxat  
33 frigora sol, tumidis spumantia mulctra papillis.  
34 Implebis quod mane fluet, rursusque premetur  
35 mane quod occiduae mulsura redegerit horae.  
36 Parce tamen fetis : ne sint compendia tanti,  
37 destruat ut niveos venalis caseus agnos ;  
38 nam tibi praecipuo fetura coletur amore.  
39 Te quoque non pudeat, cum serus ovilia vises,  
40 si qua jacebit ovis partu resoluta recenti,  
41 hanc umeris portare tuis natosque tepenti  
42 ferre sinu tremulos et nondum stare paratos.  
43 Nec tu longinquas procul a praesepebus herbas  
44 nec nimis amotae sectabere pabula silvae,  
45 dum peragit vernum Jovis inconstantia tempus.  
46 Veris enim dubitanda fides : modo fronte serena  
47 blandius arrisit, modo cum caligine nimbos  
48 intulit et miseris torrentibus abstulit agnas.  
49 At cum longa dies sitientes afferet aestus  
50 nec fuerit variante deo mutabile caelum,  
51 jam silvis committe greges, jam longius herbas  
52 quaere ; sed ante diem pecus exeat : umida dulces  
53 efficit aura cibos, quotiens fugientibus Euris  
54 frigida nocturno tanguntur pascua rore  
55 et matutinae lucent in gramine guttae.  
56 At simul argutae nemus increpuere cicadae,  
57 ad fontem compelle greges ; nec protinus herbas  
58 et campos permittite sequi, sed protegat illos  
59 interea veteres quae porrigit aesculus umbras.  
60 Verum ubi declini jam nona tepescere sole  
61 incipiet seraeque videbitur hora merendae,  
62 rursus pasce greges et opacos desere lucos.  
63 Nec prius aestivo pecus includatur ovili,  
64 quam levibus nidis somnos captare volucris  
65 cogitet et tremulo queribunda fritinniat ore.  
66 Cum jam tempus erit maturas demere lanas,  
67 sucida jam tereti constringere vellera junco,  
68 hircorumque jubas et olentes caedere barbas,  
69 ante tamen secerne pecus gregibusque notatis  
70 consimiles include comis, ne longa minutis,  
71 mollia ne duris coeant, ne candida fuscis.  
72 Sed tibi cum vacuas posito velamine costas  
73 denudavit ovis, circumspice, ne sit acuta  
74 forpice laesa cutis, tacitum ne pustula virus  
75 texerit occulto sub vulnere : quae nisi ferro  
76 rumpitur, ah ! miserum fragili rubigine corpus  
77 arrodet sanies et putria contrahet ossa.  
78 Providus (hoc moneo !) viventia sulphura tecum  
79 et scillae caput et virosa bitumina portes,  
80 vulneribus laturus opem. Nec Bruttia desit  
81 dura tibi ; et liquido simul unguine terga memento,  
82 si sint rasa, linas. Vivi quoque pondera melle  
83 argenti coquito lentumque bitumen aheni,  
84 impressurus ovi tua nomina ; nam tibi lites  
85 auferet ingentes lectus possessor in armo.  
86 Nunc etiam, dum siccus ager, dum fervida tellus,  
87 dum rimosa palus et multo torrida limo  
88 aestuat et fragiles nimium sol pulverat herbas,

89 lurida conveniet succendere galbana saeptis  
 90 et tua cervino lustrare mapalia fumo.  
 91 Obfuit ille malis odor anguibus. Ipse videbis  
 92 serpentum cecidisse minas ; non stringere dentes  
 93 ulla potest uncus, sed inani debilis ore  
 94 marcet et obtuso jacet exarmata veneno.  
 95 Nunc age vicinae circumspice tempora brumae  
 96 qua ratione geras. Aperit cum vinea saepes  
 97 et portat lectas securus circitor uvas,  
 98 incipe falce nemus vivasque recidere frondes.  
 99 Nunc opus est teneras summatim stringere virgas,  
 100 nunc hiemi servare comas, dum permanet umor,  
 101 dum viret et tremulas non excutit Africus umbras.  
 102 Has tibi conveniet tepidis fenilibus olim  
 103 promere, cum pecudes extremus clauserit annus.  
 104 Hac tibi nitendum est, labor hic in tempore noster  
 105 gnavaque sedulitas redit et pastoria virtus.  
 106 Ne pigeat ramos siccis miscere recentes  
 107 et sucos adhibere novos ; ne torrida nimbis  
 108 instet hiems nimioque gelu nivibusque coactis  
 109 incursare vetet nemus et constringere frondes,  
 110 tu tamen aut leves hederas aut molle salictum  
 111 valle premes media. Sitis est pensanda tuorum,  
 112 Canthe, gregum viridante cibo. Nihil aridus illis,  
 113 ingenti positus quamvis strue, prosit acervus,  
 114 virgea si desint liquido turgentia suco  
 115 et quibus est aliquid plenae vitale medullae.  
 116 Praecipue gelidum stipula cum fronde caduca  
 117 sterne solum, ne forte rigor penetrabile corpus  
 118 urat et interno vastet pecuaria morbo.  
 119 Plura quidem meminisse velim, nam plura supersunt.  
 120 Sed jam sera dies cadit et jam sole fugato  
 121 frigidus aestivas impellit Noctifer horas."

Astylus

C\_6 v.1 Serus ades, Lycida : modo Nyctilus et puer Alcon  
 2 certavere sub his alterno carmine ramis,  
 3 iudice me, sed non sine pignore. Nyctilus haedos  
 4 juncta matre dedit, catulum dedit ille leaenae  
 5 juravitque genus ; sed sustulit omnia victor.  

Lycidas

 6 Nyctilon ut cantu rudis exsuperaverit Alcon,  
 7 Astyle, credibile est, si vincat acanthida cornix,  
 8 vocalem superet si dirus aedona bubo.  

Astylus

 9 Non potiar Petale, qua nunc ego maceror una,  
 10 si magis aut docili calamorum Nyctilus arte  
 11 aut cantu magis est quam vultu proximus illi.  

Lycidas

 12 Jam non decipior : te iudice pallidus alter  
 13 venit et hirsuta spinosior hystrice barbam ;  
 14 candidus alter erat levique decentior ovo  
 15 et ridens oculis crinemque simillimus auro,  
 16 qui posset dici, si non cantaret, Apollo !  

Astylus

 17 O Lycida, si quis tibi carminis usus inesset,

18 tu quoque laudatum nosse Alcona probare.  
 Lycidas

19 Vis igitur, quoniam nec nobis, improbe, par es  
 20 ipse tuos, iudex, calamos committere nostris ?  
 21 Vis conferre manum ? Veniat licet arbiter Alcon.  
 Astylus

22 Vincere tu quemquam ? Vel te certamine quisquam  
 23 dignetur, qui vix stillantes, aride, voces  
 24 rumpis et expellis male singultantia verba ?  
 Lycidas

25 Fingas plura licet : nec enim potes, improbe, vera  
 26 exprobrare mihi, sicut tibi multa Lycotas.  
 27 Sed quid opus vana consumere tempora lite ?  
 28 Ecce venit Mnasyllus : erit, nisi forte recusas,  
 29 arbiter inflatis non credulus, improbe, verbis.  
 Astylus

30 Malueram, fateor, vel praedamnatus abire  
 31 quam tibi certanti partem committere vocis.  
 32 Ne tamen hoc impune feras : en adspicis illum  
 33 candida qui medius cubat inter lilia, cervum ?  
 34 Quamvis hunc Petale mea diligat, accipe victor.  
 35 Scit frenos et ferre jugum sequiturque vocantem  
 36 credulus et mensae non improba porrigit ora.  
 37 Adspicis ut fruticat late caput utque sub ipsis  
 38 cornibus et tereti pendent redimicula collo ?  
 39 Adspicis ut niveo frons irretita capistro  
 40 lucet et, a dorso, quae totam circuit alvum,  
 41 alternat vitreas lateralis cingula bullas ?  
 42 Cornua subtiles ramosaque tempora molles  
 43 implicuere rosae rutiloque monilia torque  
 44 extrema cervice natant, ubi pendulus apri  
 45 dens sedet et nivea distinguit pectora luna.  
 46 Hunc, sicutque vides, pignus, Mnasyllus, paciscor  
 47 pendere, dum sciat hic se non sine pignore vinci.  
 Lycidas

48 Terreri, Mnasyllus, suo me munere credit !  
 49 adspice, quam timeam ! Genus est, ut scitis, equarum  
 50 non vulgare mihi, quarum de sanguine ponam  
 51 velocem Petason, qui gramina matre relictas  
 52 nunc primum teneris libabit dentibus : illi  
 53 terga sedent, micat acre caput, sine pondere cervix,  
 54 pes levis, adductum latus, excelsissima cervix,  
 55 et tornata brevi substringitur ungula cornu,  
 56 ungula, qua viridi sic exsultavit in arvo,  
 57 tangeret ut fragiles, sed non curvaret, aristas.  
 58 Hunc dare, si vincar, silvestria numina juro.  
 Mnasyllus

59 Et vacat et vestros cantus audire juvabit.  
 60 Iudice me sane contendite, si libet : istic  
 61 protinus ecce torum fecere sub ilice Musae.  
 Astylus

62 Sed ne vicini nobis sonus obstrepat amnis,  
 63 gramina linquamus ripamque volubilis undae.  
 64 Namque sub exeso raucum mihi pumice lymphae  
 65 respondent et obest arguti glareae rivi.  
 Lycidas

66 Si placet, antra magis vicinaque saxa petamus,  
 67 saxa, quibus viridis stillanti vellere muscus



19 Dic age dic, Corydon, nec nostras invidus aures  
 20 despice : non aliter certe mihi dulce loquere,  
 21 quam cantare soles, quotiens ad sacra vocatur  
 22 aut fecunda Pales aut pastoralis Apollo.

Corydon

23 Vidimus in caelum trabibus spectacula textis  
 24 surgere, Tarpeium prope despectantia culmen  
 25 immensosque gradus et clivos lene jacentes.  
 26 Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste  
 27 inter femineas spectabat turba cathedras.  
 28 Nam quaecumque patent sub aperto libera caelo,  
 29 aut eques aut nivei loca densavere tribuni.  
 30 Qualiter haec patulum concedit vallis in orbem  
 31 et sinuata latus resupinis undique silvis  
 32 inter continuos curvatur concava montes,  
 33 sic ibi planitiem curvae sinus ambit harenae  
 34 et geminis medium se molibus alligat ovum.  
 35 Quid tibi nunc referam, quae vix suffecimus ipsi  
 36 per partes spectare suas ? Sic undique fulgor  
 37 percussit. Stabam defixus et ore patenti  
 38 cunctaque mirabar necdum bona singula noram,  
 39 cum mihi jam senior, lateri qui forte sinistro  
 40 junctus erat : "Quid te stupefactum, rustice," dixit,  
 41 "ad tantas miraris opes, qui nescius auri  
 42 sordida tecta, casas et sola mapalia nosti ?  
 43 En ego jam tremulus jam vertice canus et ista  
 44 factus in Urbe senex stupeo tamen omnia : certe  
 45 vilia sunt nobis, quaecumque prioribus annis  
 46 vidimus, et sordet quicquid spectavimus olim."  
 47 Balteus en gemmis, en illita porticus auro  
 48 certatim radiant ; nec non, ubi finis harenae  
 49 proxima marmoreo praebet spectacula muro,  
 50 sternitur adjunctis ebur admirabile truncis  
 51 et coit in rotulum, tereti qui lubricus axe  
 52 impositos subita vertigine falleret ungues  
 53 excuteretque feras. Auro quoque torta refulgent  
 54 retia, quae totis in harenam dentibus exstant,  
 55 dentibus aequatis ; et erat (mihi crede, Lycota,  
 56 si qua fides) nostro dens longior omnis aratro.  
 57 Ordine quid referam ? Vidi genus omne ferarum,  
 58 hic niveos lepores et non sine cornibus apros,  
 59 hic raram silvis etiam, quibus editur, alcen.  
 60 Vidimus et tauros, quibus aut cervice levata  
 61 deformis scapulis torus eminent aut quibus hirtae  
 62 jactantur per colla jubae, quibus aspera mento  
 63 barba jacet tremulisque rigent palearia setis.  
 64 Nec solum nobis silvestria cernere monstra  
 65 contigit : aequoreos ego cum certantibus ursis  
 66 spectavi vitulos et equorum nomine dictum,  
 67 sed deforme pecus, quod in illo nascitur amne,  
 68 qui sata riparum vernantibus irrigat undis.  
 69 Ah ! trepidi quotiens sola discedentis harenae  
 70 vidimus in partes, ruptaque voragine terrae  
 71 emersisse feras ! Et in isdem saepe cavernis  
 72 aurea cum subito creverunt arbuta nimbo.

Lycotas

73 O felix Corydon, quem non tremebunda senectus  
 74 impedit ! O felix, quod in haec tibi saecula primos

75 indulgente deo demittere contigit annos !  
76 Nunc, tibi si propius venerandum cernere numen  
77 fors dedit et praesens vultumque habitumque notasti,  
78 dic age dic, Corydon, quae sit mihi forma deorum.

Corydon

79 O utinam nobis non rustica vestis inesset !  
80 vidissem propius mea numina ! Sed mihi sordes  
81 pullaque paupertas et adunco fibula morsu  
82 obfuerunt, utcumque tamen conspeximus ipsum  
83 longius ; ac nisi me visus decepit, in uno  
84 et Martis vultus et Apollinis esse putavi.